



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal: Gregorii IX.

**Herberstein, Ferdinand von
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

Spirens., 1660

17. Quid operentur edicta iudicum praecipientium denunciari delicta reorum? & quid in casu quo delinquens emendatus est, v. gr: in crimine haeresis? quando quis praesumi possit emendatus? confirmatur ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-11416

eem, si alia via desit & denunciare delinquentem in omnibus casibus, in quibus diximus denunciari posse delicta alteri damnum inferentia. *ita ex Arag: 2. 2. q. 68. a. 1. docet Villalobus tom. 2. sum: tr. 4. differ: 12. numer: 2.*

17. Corollaria ex dictis à n. 5. sequentia deducimus 1. Vi edictorum, quibus Judices aliquando præcipiunt denunciari certa delicta, aut certos reos ab iis, qui eos nōrint neminem teneri judicialiter denunciare delictum, & reum omninò emendatum, nisi delictum cum suo authore publicum sit, & nondum dederit publicam satisfactionem: idq; obrinere in delictis si-ve noxiis ipsi delinquenti si-ve proximo, si-ve Reipub: etiam dato quod probari possint in judicio. *Navar: in man. 6. 25. nu 46.* Ratio, quia licet huiusmodi denunciatio utilis esset ad punitionem delicti, hæc tamen sola utilitas non dat jus Judici ad præcipiendum denunciationem occulti delicti subdito jam emendato, quia cessat finis & ratio præcipiendi, secunda pars autem similiter patet, quia quando delictum fuit publicum, esto secretò emendatum sit,

fit, non tamen per secretam emendatio-
 nem Reipubl: satisfactum est: ideoq; Ju-
 dex adhuc potestatem habet ad procurā-
 dum satisfactionem publicam per publi-
 cam punitionem delinquentis ad aliorum
 cautelam. Secundum: ex vi horum edicto-
 rum regulariter te non teneri denuncia-
 re judicialiter delicta occulta contra te ab
 alio patrata, quia consilium est Evangeli-
 cum condonare proprias injurias. Terti-
 um: Neq; quemquam vi horum edictorū
 teneri denunciare seipsum, uti neq; com-
 plicem, si hos manifestare non possis, nisi
 mediatè per hoc teipsum manifestes. *Avi-
 la decens: 2. p. c. 5. disp. 4. dub. 2. concl. 9.* Quar-
 tum, quando delicta in jure probari pos-
 sunt, & in damnum tertii aut boni coñmu-
 nis vergunt, esto occulta sint, vi huiusmo-
 di edictorum denunciari posse, juxt. supra-
 dicta n. 8. imò esto in jure probari neque-
 ant, adeoq; prorsus secreta sint, adhuc de-
 nuncianda esse patet ex dictis n. 13. quid-
 quid Navar: in contrarium dicat *in sum: c.*
17. n. 134. & c. 18. n. 6. & cap. 25. n. 46. & latius
in cap. inter verba 11. q. 3. n. 112. ubi conatur
 ostendere ex variis Canonib' te non te-
 neri

neri

neri ad denunciationem huiusmodi delictorum ex vi decreti Iudicis: nisi damnum imminens Reipubl: aut tertio tantum sit, ut etiam non stantibus edictis adhuc tenearis omnibus viis impedire, & confirmatur opinio nostra supra allata. *num: 13.* ex praxi pontificia, jubet enim Pontifex in tribunali sanctæ inquisitionis denunciari reos, de quibus denunciator plene probare non potest: v. gr. jubetur pœnitens, ut constat ex *Bulla Gregorij XV. quæ incipit universi Dominici gregis*, denunciare Sacerdotem sollicitantem ad turpia in confessione, cum tamen pœnitens utpotè unus testis delictum plene probare non possit. Item firmatur opinio nostra ex praxi prælatorum, peccata omnino occulta sibi denunciari præcipientium, ubi certum est non præcipi denunciationem paternam, sed judicialem, siquidem coram secretario & propria manu signatur denunciatio, & illa facta sine ulla correctione secreto fiscalis accusat & delinquens capitur & punitur.

Nec dicas denunciatio judicialis ordinatur ad punitionem, atqui delictum, quod

quod probari non potest, non potest
puniri, ergo non est, cur Judicialiter de-
ferendum sit, cum ad nihil deserviat quā
ad diffamandum, sed contra: quia hæc de-
nunciatio ad multa utilis est, scilicet ut
habeatur ex ea notitia plenior, ut proce-
datur ad inquisitionem, ut præcaveatur
malum imminens.

*Sed quid si delinquens emendatus jam
sit?* jam dictum supra initio hujus concl.
non esse deferendum, quia cessante dam-
no cessat ratio justificans manifestatio-
nem: à qua regula solùm excipit *suar: disp.*
20. f. 4. n. 13. crimen hæresis ob eius atro-
citatem & infectionem, quod licet jure
naturæ denunciandum non sit, si jam sit
emendatum, at ex vi præcepti Ecclesia-
stici affirmat denunciandum fore: quæ
doctrina vera est, si ponamus esse delictū
probabile, nam cum in eo casu possit sci-
ens denunciare ad punishmentem, debet e-
mendatum denunciare. Sed inquires,
quando præsumi possit emendatus, ita ut
de alio crimine deferri aliquis non debe-
at? Respondeo prudentis arbitrio relin-
quendam esse, si enim omninò appareant

occa-

occasiones sublatae, praesumenda est emendatio. Ex solo temporis decursu, nisi longum sit, praesumenda certe non est correctio; explicat autem *Sanch: in select: disp: 11. num: 52.* quid censeatur longum tempus: & asserit tres annos sufficere ad emendationem praesumendam in criminoso.

18. Sed & alii casus sunt, in quibus obligatio cessat denunciationis juridicae. 1. quando delictum tibi sub secreto naturali revelatum est & in damnum neque tertii aut communitatis vergit, idemque est, quia tibi consilii petendi gratiam detectum est, tunc enim etiam praecedente infamia & femiplena probatione non tantum tenebris sed nec potes secretum revelare, & peccares non solum contra charitatem, sed etiam contra justitiam restitutionis reus, ut bene *Less: lib. 2. de just. cap: 30. dub. 6. n: 45.* quia esto bonum commune postulet delinquentem infamatum puniri, non tamen exigit, ut juvet ad punitionem, qui sub secreto & occasione consilii & remedii delictum rescivit: arceretur enim miseriam a consilio vel remedio petendo. Unde in nostra societate, ubi quilibet potest defectus